



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvtatio LXXXXVIII. De vitiis generatim sumptis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXXXVIII.

De Vitii generatim sumptis.



Vex appositione tenebrarum luci lucis fit accessio, ita ex vitii consideratione virtuti accrescit splendor, illiusque vilitas & deformitas dignitatem huius ac pulchritudinem adauget. Tractatui proinde de Virtute disputationem de Vitio subjungam, suisque id coloribus adumbrare conabor, ut utriusque inter se commissione amborum natura clarius innotescat.

SECTIO PRIMA.

Quaedam circa naturam vitii discutuntur: ubi an habitus vitiosus sit talis ex natura sua.

I.
Quid hoc lo-
ca nomine
vitii intelli-
gatur.



Vt varias vitii acceptiones omit- tam, vitia scilicet corporis, artis, &c. quicquid enim, ut docet S. Thomas hic, quæst. 71. art. 1. non est dispositum secundum quod conuenit suæ naturæ, est vitium, unde & vitiosum hoc sensu opponitur integro: hæc, inquam, ut omittam, de animi vitio hic loquimur, non corporis, estque aliquid ad mores pertinens, ha- bitus nimirum ad actum moraliter malum incli- nans & facilitans, illiusque in actu primo produ- ctivus, in quo differt à peccato: hoc enim est effe- ctus ab huiusmodi habitu productus: hinc S. Au- gustinus lib. de perfectione Iuliorum, cap. 2. *Vitium, inquit, est qualitas, secundum quam malus est animus, etiam cum nihil operatur: qualis est habitus odii Dei, desperationis, inuidiæ, luxuriæ, &c.*

Vitium dicitur
actum pri-
mum, non
secundum.

II.
Vitium con-
trarie oppo-
nitur vir-
tuti.

Ex his sequitur verissimum esse quod docet Doctor Angelicus loco proxime citato, vitium nimirum contrarie opponi virtuti; contraria quippe sunt iuxta Philosophos, que sub eodem ge- nere maxime distant, seu differunt: hoc autem faciunt virtus & vitium, sub eodem scilicet genere qualitatis; vitium siquidem est habitus malus, virtus habitus bonus; virtus quippe, ut ait Aristo- teles 2. Ethic. cap. 6. *est que bonum facit habentem,* & ut loquitur idem Aristoteles 7. Phys. tex. 17. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum, beatitudinem scilicet, vel naturalem si habitus sit naturalis, vel supernaturalem si supernaturalis: disponit autem ad hoc optimum habitus, vel formaliter, per suam nimirum entitatem ornando & perficiendo animam; vel effectivè, producendo scilicet alios & alios virtutum actus, qui ad hunc finem asse- quendum conducunt.*

Virtus est
dispositio
perfecti ad
optimum,
quo pacto sit
intelligen-
dum.

III.
Sine habi-
tu vitiosus
talis ex es-
sentia.

Quæres, utrum habitus vitiosus sit ex natura seu essentia sua talis: hoc est utrum habitus vitii ita sit malus, ut idem numero non possit nec poterit esse bonus vel indifferens. P. Suarez hic, tract. 4. de habitibus pravus, sect. 1. num. 13. ait, quamvis actus possit transire de bono in malum, habitum tamen non posse, ac

proinde habitum illum qui semel est malus esse semper talem: tum quia ut habitus sit malus sufficit, quod unquam inclinet ad actum malum: tum quia habitus vitii ad objectum physicum, etiam bonum, ita effrenatè inclinat, ut operans ad rationis regulas non advertat, sed transverfus feratur, & impetu quodam animi ac pondere, & non secundum dictamen prudentiæ, atque ut creaturam rationalem deceat.

Sed contra: nam ut Disputatione præcedente sect. 2. & 3. dixi, habitus sive virtutis sive vitii respicit solummodo prædicata physica & intrinseca actus, non prout illius objectum substat vel non substat prohibitioni; unde quantum ad hoc, sicut actus, ita & habitus mutari potest de bono in malum, & e contra. Ad id verò quod assertur, habitum scilicet vitiosum effrenatè ferri & incli- nare ita ut operans non advertat ad regulas rectæ rationis. Contra primò: si enim ita vehementer eum rapiat habitus, ut ad rectæ rationis regulam non attendat; ergo non peccat, ut de motibus primo primis dicitur solet. Contra secundò: non minus vehementer rapit habitus bonus quam malus; ergo si ob vehementiam præcisè habitus reddatur vitiosus, nullus erit habitus bonus, sed omnis virtus vitium. Contra tertio: habitus siquidem remissus non ita vehementer inclinat; ergo hic non est essentialiter malus, sed potest esse indifferens, & de malo transire in bonum, & e contra.

Sicut ergo Disput. præcedente, sect. secundâ dixi habitus quosdam ita esse bonos, seu ad actum bonorum productionem determinatos, qualis est habitus perfecti amoris Dei super omnia, habitus inclinans ad nolendum peccare, &c. alios verò dixi esse habitus, qui non ita ad actus bonos sunt determinati, quin ad eosdem aut similes actus inclinare, eosque producere possint, dum de bonis transiunt in malos: idem nunc e contra- riò affirmo de habitibus malis; habitus quippe odii Dei, & similes, sunt essentialiter mali; alii verò qui ad actus inclinant, qui de bonis transire possunt in malos, non sunt essentialiter habitus vitiosi.

Dices: non potest secundum nos supra, Disput. 90. sect. 2. dari actus indifferens in indivi- duo; ergo nec habitus. Negatur tamen conse- quentia: ratio disparitatis est, ideo namque diximus non posse dari actum indifferens in individuo, quia

IV.

Habitus fer-
tur in actum
secundum
prædicata
illius intrin-
seca.

Quid habi-
tus est vehe-
mentiam ten-
dat in actum,
non propter
ea sit vitio-
sus.

V.

Sicut omnis
habitus bo-
nus non est
essentialiter
bonus, ita
nec omnis
malus est es-
sentialiter
vitiosus.

VI.

Quamvis
dari nequeat
actus indif-
ferens in in-
dividuo, po-
test tamen
dari habi-
tus.

quia

quia quisquis operatur, tenetur semper apponere operationi bonum finem; hunc autem, cum sit quid actui extrinsecum & accidentale, habitus non respicit, qui, ut loco proxime citato late dictum est, solum tendit ad predicata intrinseca actus, quæ nimirum sola producit. Sic qui rei alicui, orationi scilicet aut studio, se diuturno tempore applicuisset antequam prohiberentur, non minorem in iis sentiet facilitatem postea, si prohibeantur, ergo habitus prohibitionem non respicit, sed tantum entitatem actus, & predicata illius intrinseca. Aliud est si habitus produceretur per actus qui dicerent, volo tendere in hoc obiectum quia est prohibitum, volo proferre hoc verbum quia est otiosum, &c. hi enim habitus non sunt, nec esse possunt boni, aut indifferentes, magis quam habitus invidiæ, & similes, qui, ut dixi, sunt essentialiter vitiosi.

Habitus predicata tantum intrinseca actus respicit, non circumstantias extrinsecas.

VII.

Per accidens est quod hi habitus producantur nequæ actus indifferentes.

Urgebis: hi habitus nunquam possunt producere actus indifferentes, ergo nec ipsi sunt indifferentes. Distinguo antecedens: non possunt producere actus indifferentes, per se seu ex natura sua, nego; antecedens: per accidens, concedo, quod nimirum opponi vel non opponi finem honestum sint contradictoria: at verò habitus cum non respiciant actuum circumstantias, sed solum entitatem, seu predicata eorum intrinseca, quæ secundum se præcisè nec bona sunt nec mala, possunt quantum est ex se producere actus indifferentes: imò indifferenter eos producant siue boni sint siue mali, quod sufficit ut dicantur habitus indifferentes. Habitibus verò odii Dei non est hoc modo indifferens, qui ex natura sua & intrinsece determinatur semper ad producendos actus malos. Videatur sectio 2. & 3. Disp. præcedentis.

Quid sufficit ut habitus quisquam censetur indifferens.

SECTIO SECUNDA.

Sitne vitium contra naturam: ubi cur appetitus non sit vitium.

I.

Vitium est contra naturam hominis ut homo est.

QUÆRES: Utrum omne vitium sit contra naturam hominis, ut homo, seu ut rationalis est? Respondetur affirmativè: ratio est, vitium siquidem, ut sectione præcedente, num. 2. dixi, opponitur virtuti: virtus autem in eo sita est, ut quis bene dispositus sit juxta convenientiam suæ naturæ, vitium ergo e contrario illud esse debet, per quod dispositus sit contra id quod convenit suæ naturæ: cum ergo virtus hominem quæ hominem perficiat, ad ea inclinet quæ rectæ rationi sunt consentanea, efficiatque ut homo in omni actione se ita gerat, ut naturam rationalem decet; vitium e contra ad ea moveat necesse est, quæ rectæ rationi sunt contraria, ac proinde naturæ hominis, ut rationalis est, adversatur.

Quid in homine faciat virtus, quid vitium.

II.

Vituperationis nomen a vitio derivatum.

Hinc S. Augustinus lib. 3, de libero arbitrio, cap. 14. Vitium, inquit, non aliunde malum est, nisi quia natura adversatur eius ipsius rei cuius vitium est. Quod ab aliis etiam Patribus docetur. Deinde idem S. Augustinus loco citato vituperationis nomen à vitio deductum affirmat, nihil autem vitio cuiquam vertitur, nec censetur ob id vituperio dignus, nisi quod rectæ secundum naturam suam dispositioni est contrarium. Verum quidem est peccata quædam peculiariter dici contra naturam, ob enormem scilicet quam in se continent scditatem;

Quaedam peccata sunt peculiariter contra naturam.

hoc tamen non impedit quo minus peccata & vitia omnia naturæ adversentur, quamvis nonnullis specialiter hoc, & quasi antonomastice conveniat.

Dices: ex hominibus virtutem pauci, vitia plurimi sectantur, atque ad ea quodammodo rapiuntur; ergo vitium potius est secundum naturam, quam virtus. Negatur tamen consequentia, ideo namque tot homines ad vitia feruntur, tum quia hæc præsentem semper delectationem adferunt, virtus autem initio aspera est & injucunda: tum quia virtus obtentu difficilis est; ad vitia verò non prona tantum est, sed præceptis via: tum denique quia à primâ ætate, ipsæque adeo incunabulis, operationibus sensuum affueti, iidem reliquâ fere vitia capiuntur, & has oblectationes tanquam magis obvias, sibi que ut ita dicam veluti congenitas, avidè sectantur.

III.

Quod plura vitia magis quam virtutem amplectantur, non arguit vitium esse secundum hominis naturam.

Dices secundò: si vitium censetur id, quod ad malum inclinat, naturæque rationali contrarium, ergo appetitus etiam sensitivus erit vitium, cum ad actus malos infligit sæpè, ac naturæ rationali non consentaneus: hoc autem dici nequit; sic enim Deus esset auctor vitii, cum sit auctor naturæ; appetitus autem, seu concupiscentia est quid ad naturam spectans, ejusque motus juxta naturæ inclinationem.

IV.

Dices: bene sequi appetitum sensitivum, seu concupiscentiam fore vitium.

Nec respondeas, hanc deordinationem appetitus effectum esse peccati originalis: cum hujusmodi motus inordinati in statu innocentie non fuerint, nec etiam fuissent licet status ille longiore tempore durasset, & ab Adamo ad posteros fuisset transmissus: hoc inquam, difficultati non satisfacit, nihil enim per peccatum originale superadditur appetitui, sed specialis tantum illa protectio, qua Deus inordinatos hoscumque motus appetitus miraculose in eo statu impediabat, est in pœnam peccati primæ parentis subtracta, sicque natura sibi hoc sensu relicta, nec post peccatum originale pejore loco sunt homines, quam si in purâ naturâ fuissent creati. Hac de re plura postea in materiâ de gratiâ.

V.

Quo sensu inordinati motus appetitus sunt peccati originalis.

Respondent aliqui secundò, ideo appetitum sensitivum non esse vitium, quia quamvis non minus vehementer ad objecta quædam, ex quibus oritur occasio peccandi, moveatur, quam habitus vitiosus, propendat tamen naturâ suâ ut obediat rationi, quod non facit habitus. Sed contra: nec enim aliter propendat appetitus ad obediendum rationi, quam quod ab hac coerceri possit, ac violenti ejus motus & inclinationes liberam adhuc pleneque sui juris relinquunt voluntatem, quo sensu Gen. 4. verſ. 7. dixit Deus Caino: *Sub te erit appetitus &c. & tu dominaberis illius*: hoc modo autem etiam habitus rationi obedit, nullus enim, quantumvis intentus tollit libertatem. Imò non vehementius hominis voluntatem hac in parte urget habitus quam appetitus. Hinc Apostolus ad Romanos 7. verſ. 23. *Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati.*

VI.

Quaratione appetitus sensitivus dicitur propendere ad obediendum rationi.

Ut ergo varia, quæ hæc dici possent, omittam, vitium seu habitus malus ordinem ex naturâ suâ dicit ad actus pravos, per quos est acquisitus, & supponit habentem male operatum esse; hoc verò non facit appetitus, sed bonis juxta ac malis est communis. Dixi, ex naturâ suâ, si namque Deus (quod multi fieri posse existimant) habitum vitiosum cuiquam per se infunderet, adhuc tamen habitus ille peteret connaturaliter per ejusmodi actus produci, sicque hunc ordinem etiam tunc retinet.

Nec appetitus, nec habitus tollit libertatem voluntatis.

VII.

Vitium est natura sua supponit hominem male se habere.

Dices:

VIII. Dices: habitus qui per actus bonos acquiritur, frequentes scilicet actus studendi, si studium postea prohibeatur, fit habitus malus, cum jam inclinet ad actus prohibitos, ergo universim non est de conceptu habitus vitiosi, ut dicat ordinem ad actus pravos, & ab iis petat ex natura sua produci. Responderi posset, habitum hunc studendi, qui per actus illos acquisitus est, non esse, etiam posita prohibitione, proprie & complete habitum vitiosum; ut enim sit proprie talis, inclinare debet ad actus qui dicant, volo studere quia studium est prohibitum, vel volo studere licet sit prohibitum; actus vero, per quos prior habitus est productus, nil dicunt huiusmodi: unde Angelus hos actus intuitivè cernens, nihil in eorum objecto videbit mali. Tunc ergo solum hic & similes habitus censentur vitiosi, quando quis post prohibitionem, & eam animadvertens, habitus illius inclinationi cedit, & varios adhuc studendi actus exercet; tunc enim per hos actus habitum illum auget, ejusque inclinationem ad actus jam malos approbat, ac proinde eum ut ad actus malos incitantem, de novo quodammodo amplectitur, & per eum actus malos producit: sicque ratione, non priorum, sed posteriorum actuum habitus dicitur malus: & idem dicendum de his habitibus, quando de malis fiunt boni.

Secundum varios actus censentur habitus vitiosi, vel non vitiosi.

Quando huiusmodi habitus dicitur malus.

SECTIO TERTIA.

Alia quedam ad vitii cognitionem spectantia.

I. QUÆRES secundò pejorè & etiam melior sit homini actus an habitus? Res hæc est parvi momenti: dico itaque pejorem multò esse homini actum quam habitum: ita cum S. Thoma hic, q. 71. art. 3. communis habet Theologorum sententia. Ratio est; habitus siquidem est malus & vitiosus quia inclinat ad actum, ergo est pejor, nam propter quod unumquodque, &c. Deinde, actus est qui hominem reddit odio & penâ dignum, Deum offendit & alia huiusmodi, quorum nihil competit habitui. Nec quòd habitus sit causa actus sequitur eum esse actum pejorem, sic enim voluntas esset peccato pejor, cum sit illius causa, idque multò magis quam habitus; secundum quid tamen dici habitus potest pejor uno aliquo actu, quòd scilicet voluntatem ad multos vitiosos actus inclinet.

II. Quoad habitus & actus bonos naturales, actus non sunt homini meliores, quam habitus; melius enim & optabilius est, summâ sapientiâ, insignibusque animi dotibus præditum esse, quam unum aliquem actum naturalem exercuisse.

Sine homini pejor actus, an habitus.

Actus mali sunt homini pejores quam habitus.

Actus naturalis non est subjecto melior, quam habitus.

Si tamen actus sint præcepti, meliores homini sunt, quam habitus etiam supernaturales; multò enim pejor homini foret peccare, quam carere habitibus infusis, ergo multò etiam melius eidem est, peccatum per præcepti observationem vitare, quam habere animam habitibus illis instructam. Imò hoc etiam verum videtur de habitu gratiæ, melius scilicet esse carere peccato, quam etiam illam habere. Sed ad alia difficiliora, scituque magis digna pergamus.

Quærent hic aliqui, utrum Deus per se infundere possit habitum vitiosum: sed hæc re commo- dius dicitur infra, dum de infusione habitus erroris. Fufam etiam à nonnullis hic disputationem institutam video de contrarietate vitii cum virtute, & quo pacto ab eodem se subjecto expellant. Sed hæc quæstio eadem fere est cum illâ de oppositione habituum in genere inter se, & in Philosophiâ, dum de habitibus discussâ.

Quæres tandem ad conclusionem hujus materiæ, an, & quomodo vitia inter se connectantur? Respondetur, non posse vitia omnia esse inter se connexa: ita S. Thomas hic, q. 73. art. 1. idemque docet S. Augustinus Epist. 29. ad S. Hieronymum, & alii passim. Ratio est: virtus enim, ut sapius dictum est, consistit in medio, ergo duo vitia sunt extremè ei & sibi invicem opposita, inter quæ mediū tenet virtus, aureamque servet mediocritatem. Exempli gratiâ liberalitas prodigalitate inter & avaritiam consistit, hæc autem vitia ita secum pugnant, ut in eodem subjecto reperiri simul nequeant, eundem quippe hominem sordidum simul & prodigum, seu pecuniæ summè tenacem esse, eamque largissimè in alios profundere, planè est impossibile.

Imò nec virtutes omnes inter se videntur connexæ, actus enim, quo quis prolis suscipiendæ causâ vult contrahere matrimonium, est honestus, hic tamen non stat eum voluntate virginitatem perpetuò servandî: & sic de aliis. Quare ratio quam Suarez hic, tractatu. 4. Disp. 4. sect. 2. num. 9. inter virtutes & vitia assignat, cur illæ sint connexæ non verò hæc, quòd scilicet virtutes in bona honesta ferantur, vitia in bona delectabilia; hæc inquam ratio non subsistit, nam ut proximè ostensum est, bona etiam honesta sibi interdum sunt contraria.

Plerumque tamen vitia sunt inter se connexa; imò frequenter vitia quedam, alia vitia mali corvina mala ova progignunt. Hinc superbia omnium prope vitiorum parens appellatur, utpote ex qua, tanquam ex vitiatâ radice venenati surculi nascuntur, aliique & alii ex iis rami longo ordine propagantur. Sed de his fatis.

III. Si tamen actus sint præcepti, superiores habitus.

IV. De vitii & virtutis inter se oppositione.

V. Quam inter se habeant vitia connexionem.

Virtus auream inter vitia servat mediocritatem.

VI. Omnes etiam virtutes non sunt inter se connexæ.

VII. Unum vitium frequenter alium progignit.

